Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



cibo, potu, et in somno, sed uade tu miserrime spiritus, et time signum Christi, qui uenturus est iudicare. etc.

Exaudi domine præces nostras quas in conspectu maiestatis tuæ offerimus suppliciter deprecantes, ut hunc famulam .N. in tua misericordia confidentem benedicas, et ei omnia peccata sua dimittas, tuaq; protectione ipsam ab omni periculo corporis et animæ, et post finem uitæ suæ ad æternam beatitudinẽ feliciter perducas: per Christum dñm nostrum .etc.

Deprecamur te domine Jhesu Christe summe et optime pastor, ne pereat ouis illa, pro qua descendisti de coelis, relinquens nouaginta „nouem“ oues in deserto, uenisti quærere unam quæ perierat, qua inuenta reportasti ad gregem. Imple ergo nunc officium summi regis, et persequere leonem, qui rapuit de grege tuo hanc famulam .N. placeat ergo Jhesu Christe, ut leo interficiatur, et ouis tua .N. de faucibus eius eruatur. Tu es pastor ouium rex noster potens, contere Sathanam sub pedibus nostris. Et nunc domine pastor ecce inimici tui qui te oderunt iam læuantes capita contra te, et tu taces. Attende ergo domine Jhesu Christe nunc ad præces nostras, et accipe arma tua, progredere et pugna contra hunc leonem aduersarium nostrum, qui circumiens grit quem deuoret, et maximè hanc famulam .N. ut deuoret eam. Esto ergo ei domine turris fortitudinis, à facie inimici, et libera eam ab obsidione dæmonum, qui uiuis et regnas deus. etc.

29